# Mendelssohn - Bartholdy

# Monitione Canonica

# DE
# MONITIONE CANONICA

SCRIPSIT

C. MENDELSSOHN-BARTHOLDY,

U. J. D.

HEIDELBERGAE.

SUMTIBUS J. C. B. MOHRII.

MDCCCLX.

DE

# MONITIONE CANONICA.

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI JURE CONSULTORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLA

SCRIPSIT

C. MENDELSSOHN-BARTHOLDY,

U. J. D.

HEIDELBERGAE.

SUMTIBUS J. C. B. MOHRII.

MDCCCLX.

Viris doctissimis eruditissimisque

nec non

avunculis dilectissimis

**Eduardo Souchay** et **Carolo Jeanrenaud,**

**u. j. dd.**

*hunc libellum academicum*

*pio animo*

*dicat*

**auctor.**

# Procemium.

Jus criminale jam apud antiquissimos populos, et apud ipsos Romanos, eam praecipue rationem puniendi secutum est, ut, quod corporeae hominum naturae consonum magis videatur esse, irae et ultioni offensi satisfiat.*) Longe vero aliud fuit ingenium doctrinae Christianae, quae cum ad omnem hominum vitam et naturam ordinandam sese pertinere profiteatur, tum hac quoque in disciplina plurimum valens, divinam gratiam perdi non posse nequitia humana ideoque puniendum esse voluit, ut peccatores emendentur atque in gremium salutis redeant. Itaque primis seculis, ex quo Christi praecepta**) omnem antiquitatis rationem funditus subverterent, omnes poenae ecclesiasticae censurae erant; (ut posteriorem verbi significationem usurpem) poenae nimirum medicinales.***)

*) Mejer: De diversitate summorum poenae principiorum et in jure Romano et apud Gratianum obviorum. Gött. 1841. p. 21 sqq. Tamen et aliam rationem adumbratam esse non infitior. Seneca, De clem. I. c. 22.

**) Math. V. 38 sq.

***) Contrariam sententiam defendit B. Schilling: Der Kirchenbann. Leipzig 1859. pag. 116. Qui jam a Canonibus Apostolorum poenam mere sic dictam introductam esse dicit, cum pateat ex Canone 23. excommunicationem et in certum tempus irrogatam esse. Attamen vim specialem poenae vindicativae non eo consistere invenimus, ut in certum quoddam tempus puniatur, sed ut, spe emendationis pro nihilo habita, puniantur et non contumaces. Quis vero est, qui Can. 28: „Laicus, qui se ipsum mutilavit per tres annos a communione ejicitor, puta qui ipse vitae suae ponit insidias" eam rationem inesse sustineat, ut de emendatione criminosi prorsus desperetur? Quinimmo tribus annis elapsis contumaciam ejus

Boehmer*) invehitur in doctrinam prorsus novam, et in cerebro scholasticorum non antiquitatum peritia, sed fecibus corruptarum doctrinarum imbuto, natam. Sed quaero, differentia illa inter censuras poenasque fundamentali existente, num melius fuerit eam detegere planeque operire, quam diutius tacere, tacendoque perturbationi fovere, quae judices, mehercle, magis expeditura sit, quam judicandos? De propriis vero notis et characteribus poenarum ecclesiasticarum mere sic dictarum et censurarum, quamquam inter omnes decretalium interpretes et theologos scholasticos non convenit, communior tamen et receptior sententia ita habet, poenam ecclesiasticam vindicativam in punitionem et vindictam criminum, censuram vero in emendationem et medicinam imponi, item illam natura sua perpetuam esse, hanc vero, utpote in emendationem impositam, ab ecclesiastica potestate jure ordinario, contumacia peccatoris fracta, tolli posse. Quaerenti igitur, quid sit censura ecclesiastica minime sola partitione, ut Innocentius III,**) ansam disputandi dabimus, utrum adaequate et complete omnes species censurarum hic relatae fuerint, sed censuram eam esse poenam spiritualem respondebimus, cujus finis et scopus sit medicinalis.

Quae cum ita sint, in censuris vel poenis medicinalibus ferendis summopere respiciendum esse animum criminosi, antequam crimen perpetraverit, patet; dignoscendumque, contumacia num adsit. Etenim eum, quem poena emendare volumus, psychologica quaedam experientia non prius poena afficiendum esse nos docet, quam poena re vera, ut ita dicam, dignum sese esse, contumacem nimirum se ostenderit. Graves hinc nascuntur differentiae inter poenam vindicativam et censuram quoad modum procedendi. Poenam enim ecclesiasti-

*) Jus ecclesiasticum lib. V. tit. XXXVII. De Poenis 13 sq. Nec non, quamquam remissius, Joh. Morinus: De disciplina in administratione sacramenti poenitentiae. lib. VI. cap. 25. 12.

**) c. 20. X. De Verb. signif. Quaerenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujus modi clausulam in nostris literis apponimus, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi, nisi judex discretus, rerum et personarum circumstantiis indagatis ferat, quam magis viderit explicare.

cam, gladium, sis, spiritualem*) tam terribilem esse homini vera Christiana fide imbuto, Canonistae existimant, ut profanari debeat, cum cadat nonnisi in contumacem. Judices igitur nihil antiquius habento, quam de contumacia illa in censuris ferendis necessaria cognoscere. Inesse vero criminoso talem contumaciam, judicare qui possunt nisi antea animum ejus quasi tentaverint, quaesierintve, num penitus obduratus sit? Itaque admonitio quadam praecedere sententiam censurae debet, qua num vere contumax peccator sit demonstretur. Cujus regulae originem altius repetentes jam inde a temporihus, quibus christiana religio nata est, oriemur, principioque in omnibus poenis institutam paullatim interpretationibus exceptionibusque ita infirmatam esse, ut raro tantummodo locum habeat, ostendemus.

## I.

## De origine monitionis canonicae.

Dubium igitur non est, morem praemittendae trinae monitionis ad nos ex traditione Apostolica**) dimanasse in sequentibus Christi***) verbis fundata: „Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“ Clementius profecto, consonumque magis cum indole ac natura poenae medicinalis excogitari quid non poterat! Etenim ante omnia correptione fraterna animus peccatoris tentandus erat, atque qui in fratrem peccantem extrema experiri et coram ecclesia eum arguere vult, antea iterum atque iterum eum cohortari familiari-

*) Cypriani Epist. LXII ad Pomp.

**) van Espen. Part. III. tit. XI. De Poenis. c. 1. Ejusdem Tractatus de censuris. c. III. §. 2.

***) Matth. 18. v. 15—18.

que colloquio ei ostendere debet, se non suo commodo inservire, sed ejus salutem spectare. Accedebunt privatae multae rationes, quas postea judex unice peccatum ante oculos habens, ne flocci quidem pendebit. Jam vero privatam hanc monitionem primis saeculis, arcta adhuc omnium Christianorum communione plurimos movisse et ad rectam viam reduxisse credibile est. Qua spreta minime de peccatoris emendatione desperandnm erit, sed duo alii ex ecclesia cohibendi erunt; quos cum primo illo adhortatore consentire audiens, peccator, illum haudquaquam sine causa, individuam fortasse sententiam suumque commodum secutum, admonuisse intelliget. Deinde id quoque tendere secundam illam cohortationem patet, ut personae adhibitae testimonium possint reddere de peccatoris, quem non poeniteat, repugnantia, si forte delatio ad antistites ecclesiasticos necessaria fiat.*) Quid vero secundam quoque, quamvis ponderandam, admonitionem, criminosus cum contemnat? contemnat tandem admonitionem ecclesiae? Multi profecto erunt qui verba illa: „ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης" nullo modo ecclesiae vim a Christiana communione excludendi tribuisse neque: „ἔστω σοι" idem esse atque: „ἔστω τῇ ἐκκλησίᾳ" contendant, ita ut singuli hoc loco jubeantur, si quis injuriam agnoscere vel reparare nolit, viam inter Christianos quidem inusitatissimam ingredi, solum praeterea contra injurias ethnicorum et publicanorum remedium, nimirum actionem in foro ordinario civili instituere. Quae cum ad controversias inter catholicam ét evangelicam fidem nimis spectare videantur, in medio relinquamus. Hoc autem procul dubio nobis esse apparet, verbis illis citatis Christum minime Judaeorum quandam opinionem complexum esse, quorum consuetudo publicanos et ethnicos fugiendi et contemnendi vana admodum a Christianis habetur. Qui error Schillingii.**). Jam vero, ut verbis citatis, sequentibusque inprimis: „Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram erunt soluta et in coelo" excommunicationem aliasque poenas

*) C 4. X. de test. 2. 20.

**) „Der Kirchenbann" l. c. pag. 106 sq.

ecclesiasticas institutas esse concedamus, tamen cum sciamus Christum ab omni falso sectuariorum odio recessisse humanique nihil a se alienum putasse; verbis illis nihil aliud praefiguratum esse volumus adumbratumque, quam finem et scopum excommunicationis omnisque poenae ecclesiasticae medicinalem esse.*) Etenim de salute et correctione publicanorum et Ethnicorum Christum neutiquam desperasse, quot testimonia et exempla probant! — Tribus igitur admonitionibus, duabus quidem privatis, tertia coram congregatione communionis, pro nihilo habitis, Christus peccatorem tanquam contumacem et incorrigibilem poenae ecclesiasticae vinculo astringendum, eamque poenam medicinalem esse vult. Qui vero procedendi modus ex apostolorum sententia in ecclesia observandus sit, celeberrimus iste de haereticis locus probare videtur. Etenim Paulus si scribit**): „*αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ*“ manifesto admonitionis priora stadia designat. Quod autem duabus cohortationibus, tertio procedendi rationis stadio plane neglecto, totum in haereticum procedendi modum solutum esse statuit, mirum videri potest.***) Sed haereticus nisi privatis illis duabus admonitionibus permotus perversitatis viam relinquat, judicium certe christianae communionis quam deserturus est, magni haudquaquam aestimabit. Quamobrem inutilis, ne dicam perniciosa, tertia ecclesiae admonitio Paulo apparere debuit. Primis igitur seculis praeceptum trinae admonitionis, vel admonitionis saltem, generaliter in omnibus poenis ecclesiasticis fundatum esse constat. Quae cum ita sint, mirari non possumus, quod et in depositione, quam

*) Tantum autem abest, ut is, qui emendatus sit, ei, qui laesus sit, detrimentum delicto illatum non sarciat, ut quantum possit damnum expleat et compenset.

**) Tit. III. 10.

***) Avila: de censuris eccles. Pars II. disp. I. dub. VII sq. Confirmantur haec exemplo Noeti haeretici, qui anno 245 p. C. n. docendo Christum et patrem ejus eandem esse personam, magnam ciebat perturbationem. cf. Mansi Conc. T. I. p. 789 sq.: *οἱ πρεσβύτεροι προσκαλεσάμενοι αὐτὸν ἐξήταζον περὶ τούτων ἁπάντων ... ὁ δὲ τὰ πρῶτα μὲν ἠρνεῖτο ἐπὶ τοῦ πρεσβυτερίου ἀγόμενος ... καὶ ὡς ἐν τούτοις ἔμενεν ἐξέωσαν αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας ἅμα τοῖς λοιποῖς.* cf. Hippolytus contra Noetum. n. 1. (Opera ed. Joh. a Fabricius. Hamb. 1716. vol. II. p. 6.)

postea in modum poenae vindicativae imponi inveniemus, *) hanc regulam locum habere Canones Apostolorum dicant. Qua de re Can. 30**): „Si quis Presbyter proprium aspernatus Episcopum seorsum conventicula egerit et altare erexerit, cum de nullo crimine Episcopum in pietate ac justitia condemnarit, deponitor, quasi qui principatum ambiat: tyrannus enim est. Consimiliter et reliqui clerici, qui suum illi calculum opponunt: laici vero a communione segregantor. Atque haec post unam et item alteram ac tertiam Episcopi exhortationem fiunto.“ Inde patet ecclesiam correptionem illam fraternam ac privatam diutius non retinuisse, singulisque solummodo permisisse ut praeceptum cohortationis fraternae, antequam lites ad judicem ecclesiasticum deferrent, sequerentur. Attamen ipsam ecclesiam trinam monitionem, antequam judicaret, praemittere. Quam doctrinam ad intimam Christianae religionis indolem pertinere, ideoque semper servandam esse sequentium quoque saeculorum legislatio censuit, extatque relatio sacrae synodi Ephesinae ad religiosissimos Imperatores de Nestorii depositione, quae Canones Apostolorum in memoriam nobis revocat. Cujus verba sunt haec***): „Cum ex Nestorii praedicatione et doctrina a sanctorum patrum et sanctissimorum apostolorum traditione prorsus aliena exorta fuisset perturbatio non solum in magna illa civitate, verum etiam in toto terrarum orbe, vestra majestas sanctas ecclesias turbari fideique et verae pietatis dogmata adulterari non est passa: verum ex omni metropoli piissimos metropolitanos, qui Episcopos adducerent et aliquos aliarum civitatum episcopos ad diem Pentecostes convenire jussit, quod utique temporis spatium ad eum conventum satis futurum videbatur. .... Vigesimo secundo die mensis Junii secundum Romanos congregati sumus, cum pridie per religiosissimos quosdam episcopos *admirabilem* illum Nestorium, ut nostro consessui sese adjungeret, pietatisque et fidei examinationi una nobiscum interesset, rogavissemus, nullumque ab eo re-

*) Schilling l. c. pag. 37. 38. Nisi excipias „communionem peregrinam“ quae vocatur.

**) Harduin: Acta Conc I. p. 15.

***) Harduin l. c. I. p. 1439 sq.

sponsum obtinere licuisset, sed unum hoc tantum per eos, qui missi fuerant, renunciasset: Rem perpendam et, si ita visum fuerit adero! Cum igitur sequenti die in sancta et magna ecclesia, quae appellatur Maria convenissemus, sanctumque evangelium, quod ipsum Christum praesentem nobis monstrabat, in throno propositum esset, *canonum forma servata* tres rursus alios sanctissimos episcopos ad ipsum misimus, *monentes ut sanctae synodo sese sisteret,* suaeque doctrinae defensionem proferret. At ille domo, in qua diversabatur, frequenti milite circumvallata, cum nullus tamen per id tempus in civitate tumultus esset, sicut nec ante quoque ullus exstiterat, ne responso quidem legatos nostros dignatus est. Porro autem *cum Canones praescribant tertio quoque contumacem esse admonendum* missis iterum aliis ad illum episcopis, durum et immorigerum eundem invenimus, eosque, qui missi ad illum fuerant, multa cum ignominia remittentem. — Hujus itaque rei causa ipsum quidem a sacerdotio perversaeque doctrinae cathedra removimus canoniceque exauctoravimus.“ *) — Simili modo et concilium Chalcedonense Dioscurum nonnisi trina monitione praemissa poena affecit, quippe quod legibus ecclesiasticis conveniret **) Comprobatam vero talem procedendi rationem etiam a potestate seculari, atque adjutam esse Edictum quoddam Lotharii Imperatoris demonstrat: ***) „Placuit nobis, ut si pro cujuslibet culpis atque criminibus quaecumque persona toties fuerit *correpta,* ut etiam excommunicatione episcopali pro contemptu dignus habeatur, comitem suum episcopus sibi consociet *et peramborum consensum hujuscemodi distringatur contemptor,* ut jussionibus episcopi sui obediens existat. Si verum assensum non dederit bannum nobis persolvat. Quodsi adhuc contumax perstiterit tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit a comite vinculis constringatur.“ Antiquissimum autem de admonitione nostra praeceptum, quod Gratianus recepit †), a

*) cf. c. 6. C. 24. q. 3.

**) Hard. II. p. 340. 377.: *ἀπόκολουθὸν ἐστι καὶ κανονικὸν καὶ δεύτερον αὐτὸν κληθῆναι.*

***) Pertz, Mon. III. p. 248.

†) c. 8. C. 11. q. 3.

Concilio Agathensi, a. 506. hab., profectum esse apparet. Etenim ad consuetudinem valde periculosam temere innocentes excommunicandi refraenandam, statuitur, ut Episcopi, qui innocentes excommunicare praesumpserint, a communione Christiana repellantur, nisi moniti a vicinis Episcopis paruerint. — Verum enim vero nostram admonitionis theoriam in commune, ut dicitur receptam esse, permultis locis Corporis juris Canonici probatur.*) E quibus unum tantummodo neque tamen levissimum commemorasse sufficiet.**) Dicit igitur Innocentius IV.: „Caeterum interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententias latas ab officialibus Archidiaconorum, seu quibuslibet aliis jurisdictionem habentibus suffraganeorum Remen. ecclesiae subditis, Remensis Archiepiscopus et ejus officiales omissis ipsis excommunicationibus non relaxent: salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent. Porro excommunicationum sententiae a Remen. Archiepiscopo suisque officialibus generaliter promulgatae, subjectos ejusdem jurisdictioni Archiepiscopi tantum ligant. *Sed nec in specie nec in genere pro culpis et offensis praeteritis vel praesentibus, excommunicationum sententias absque competenti monitione praemissa promulgeant*, et si contra praesumpserint injustas noverint esse illas."

## II.

## Praeceptum cap. V. De Sententia Excommunicationis in VI. 5.11. quatenus pateat?

Jam vero, cum regula admonendum eum esse, in quem censuris animadvertere velit judex ecclesiasticus, satis constet, quaerere libet, cui admonendi officium incumbat. Auctoritate

*) c. 2. C. 5. q. 2; c. 8. C. 11. q. 3; c. 21. C. 12. q. 2; c. 5. C. 16. q. 7; c. 23. C. 17. q. 4; c. 26. C. 23. q. 5; c. 6. C. 24. q. 3; c. 4. 6. X. De cohab. cler. 3. 2; c. 26. X. De appellationibus 2. 28; c. 61. eodem; c. 25. X. De Sent. Exc. 5. 39; c. 30. 45. 48. eodem; c. 3. 5. 9. 13. De Sent. Exc. In VI. 5. 11. 2. Clem. 5. 8. Cap. unicum Extrav. De Poenis 5. 9. sub voce: Praeterea.

**) c. 5. De Sent. Exc. In VI. 5. 11.

autem et nomine ipsius judicis, qui censuram laturus est, et admonitionem fieri debere, quis est, quin videat? Etenim manifesto talis esse debet admonitio, ut si quis non pareat, contumax et inobediens existat; quod esse non potest, nisi admonitio auctoritate superioris facta sit.*)

Profecto citatis **) ex verbis, Christum jus a communione segregandi Apostolis ea lege dedisse apparet, ut quasi vice totius ecclesiasticae communionis eo fungerentur. Sequentibus hinc seculis antistites episcopique loco communionis, vim censurarum infligendarum secundum sacramentum poenitentiae exercebant. Attamen quo tempore forum pœnitentiale sive internum a foro externo sive judiciali separabatur, jus censurarum infligendarum, quippe cum sacramento poenitentiae diutius non cohaerens, ad forum judiciale solummodo spectabat. Quapropter ei, qui clave jurisdictionis praeditus est, censuras ferre, eidemque admonere licebit. Quod de judice ordinario et de judice delegato pariter valet, cum judicem delegatum plus juris (sive potius licentiae) exercere posse quam eum, qui clavem jurisdictionis ei concesserit, contra omnem juris naturam ***) repugnet. Canones praeterea hoc loco inter judicem delegatum et judicem ordinarium nullo pacto distinguunt. †)

Jamvero quamvis frequentius de Excommunicatione tradatur, sufficientem ei admonitionem praemittendam esse, tamen

*) Gonzalez Tellez, Comm. ad Cap. 48. X. De sent. excom. Suarez, De censuris ecclesiasticis Disp. III. Sectio XI. 1. Quod si quis denunciationem juris Canonici, de qua tot controversiae inter Ictos celeberrimos moventur, afferat, atque denuntiantem certe monitione caritativa uti debere contendat; primum aliam hanc esse monitionem quam denuntians delinquenti faciat atque monitionem censuris praemissam; respondemus; porro autem ne requiri quidem caritativam illam monitionem ad valorem denunciationis judicialis permultis testimoniis firmatum probatumque esse. Etenim cum finis denuntiationis non sit bonum seu emendatio delinquentis, sed vindicta publica ad exemplum aliorum instituta, cui bono secreta quadam monitio delinquenti facta? Reiffenstuel, Jus Can. lib. V. tit. I. 98. Bouix, de judiciis ecclesiasticis p. II. pag. 49.

**) Math. 18. v. 15—18.

***) l. 175. Dig. De divers. Reg. Juris. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

†) Ugolinus, lib. de cens. tab. I. c. 18. pag. 250. Eadem dicenda erunt sive ex officio sive aliis petentibus judex censuram laturus sit. Ugol., l. c.

regula Capitis V. cit. etiam ad alias censurae species extenditur. Quod de interdicto et suspensione patet ex Cap. Statutum De Sent. Excom.*) Cujus verba sunt haec: „Statutum Gregorii Papae decimi factum ad declarationem constitutionis Innocentianeae, quae prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quae solum minorem inducit, ligari majore excommunicatione monitione canonica non promissa: *in suspensionis et interdicti sententiis* (quae pro hujusmodi participatione plerunque ab ordinariis vel delegatis judicibus promulgantur) praecipimus inviolabiliter observari. Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas.**) Solum circa interdictum animadvertendum erit***) quod interdum propter unius culpam toti universitati imponitur („mixtum" vulgo sic dictum), tunc etenim admonitio non omnibus sed solum ei, ob cujus culpam censura fertur, facienda erit; cum alii non sint contumaces, neque puniendi.

Sed ut ad eos, quibus admonitio facienda erit, transeamus, parum refert, num universitates an singuli censurae gladio feriri debeant; praeceptum Cap. V. cit. inviolabiter observandum erit.†) — Attamen spectant haec solummodo ad interdictum atque ad suspensionem. Etenim summopere judici cavendum est, ne excommunicationis sententiam contra universitates sive collegia proferat. De qua re Innocentius IV.: ††) „In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnumquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de collegio vel universitate, quos culpabiles esse con-

*) c. 13. De Sent. Exc. In VI. 5. 11.

**) Fallunt autem haec ea de suspensione, quam Episcopus ex informata sententia, ut dicitur, secundum cap. „cum honestius" ferat. Molitor, „das Kanonische Gerichtsverfahren", p. 226. Tunc etenim nulla legali solennitate observata, reus censura distringi potest, frustraque conquesturus est, quod suspensio absque monitione canonica lata sit. Utilius sane tale quid ambitionique praelatorum magis inserviens, quam consonum videtur esse, non solum cum pristina illa, verum etiam cum omni ecclesiastica disciplina!

***) Suarez, Disp. III. Sect. VIII. 2.

†) Ugolinus, l. c.

††) Cap. 5. De Sent. Excom. in VI. In fine.

stiterit, promulgentur.“ — Talis vero admonitio universitatis congregationi non syndico soli facienda erit. Qua in re difficultas quadam oriri potest, cum universitas convenire nolit. Clementia disciplinae ecclesiasticae poscere tum videtur, ut judex ad Syndicum sese conferat, eumque, ut singulos quibuscumque modis legalibus, convocet, roget. Quodsi et hac ratione convenire nolint, admonitionem omnibus factam esse, fingi debet. De quibus omnibus fusius latiusque Ugolinus loco citato.

## III.

### Quando monitio omittenda sit.

Accedimus ad materiam difficilem atque ingratam, tum quia subtiliora quaedam quam vera a Canonistis hic afferuntur, tum quia omnes exceptiones quae regulam Capitis V cit. infirmant, discrepare a pristina Christi institutione videntur. Etenim cum initio omnibus in poenis admonitionis praeceptum esset fundatum, postea id non solum ad censuras coarctari, sed ne in illis quidem plerumque locum habere voluit disciplina ecclesiastica.

I. Principio igitur, quid censes de argumentatione eorum qui admonitionem necessariam non esse dicant, cum vel excommunicatio, vel suspensio, vel interdictum per modum poenae vindicativae imponantur? *)

Quod contradictionem quandam continere et ad perturbationem illam ante tridecimum seculum summorum poenae principiorum spectare videtur, quam cum molestam fortasse judici justo ac severo, tum seductricem prorsus atque perniciosam ei fuisse exposuimus, qui inimicitiam persequi, quam recte judicare mallet. Nimia, mehercle, haec est subtilitas, distinguendi inter censuras, quae formaliter in ratione censurae, interque eas, quae quasi poenae vindicativae irrogentur. Aut enim punimus emendationis causa, censuram

*) Ugolinus, tab. I. cap. 18. 2. Schmalzgrueber, Jus Can. lib. V tit. XXXIX 30 dub. 1.

nimirum ferimus, — aut non; neque censuram eam censuram esse dicemus, quae censurae ipsius indoli, utquae maxime contraria est.*) Attamen suspensionem in modum poenae vindicativae imponi posse, argumento est constitutio Innocentii tertii**), qua Archipresbyterum Lucanum et sacristam quendam, qui literas ei sub nomine majoris partis capituli destinaverint, quamvis constet longe majorem partem capituli non fuisse consciam hujusmodi literarum, ab officio et beneficio nulla satisfactione aut resipiscentia eorum exspectata suspendit. Idem certe a fortiori de Interdicto statuendum erit.***) Quodsi et excommunicationem quasi poenam mere sic dictam irrogari posse, statuere non audeant viri doctissimi, eruditissimique, quippe cujus finis solummodo sit emendatio peccatoris; †) objiciendum iis erit cap. 6. C. 24. q. 2.; quod etiam defunctos excommunicari posse docet, excommunicationem quidem sane vindictam spirantem instituit. Profecto jam inde ab ipsa hac quintae synodi constitutione discrimen inter poenas mere sic dictas et inter censuras clarum et apertum haudquaquam erat, neque definitione quadam certa††), poenam hanc esse censuram, illam vero poenam vindicativam, sancitum erat, ita ut et in iis poenis, quarum indoles ac natura praecipue fini atque scopo medicinali consentanea esset, veluti in excommunicatione, saepenumero viam poenae vindicativae judices, quippe gratiorem brevioremqne, ingrederentur, atque censurae verbum tantummodo, non rem sequerentur. Admonitionem autem canonicam, quam cum intima poenae medicinalis natura cohaerere ostendimus, tum necessariam non esse, cum contumacia peccatoris omnino neglecta solummodo puniatur in modum vindictae, dubium nemini esse potest.

II. Jam vero nihil est in scholis theologorum et Canonistarum frequentius et decantatum magis, quam duplicem

*) Quod et Suarezius sentire videtur Disp. III. Sect. IX: Supponit autem haec exceptio *censuram* posse ferri illo modo pro delicto commisso sine nova contumacia, *quod difficile est.*

**) c. 33. X. De test. 2. 30.

***) Suarez, Disp. III. S. X 4.

†) cap. 1. In VI. De sent. excom.

††) cap. 20 De Verb. Signif. In VI.

esse Censuram, unam ab homine, alteram latam a jure. Quarum primam crimen notorium aut legitime probatum atque insuper rei admonitionem postulare, ut juste infligatur, alteram aut sententiae ferendae esse, ita ut judex legem non exequi possit nisi judicio in modum censurae ab homine habito, aut latae sententiae, ita ut ipsa criminis perpetratione inferatur. Hic vero nodus vindice dignus occurrere videtur;*) etenim trina admonitio jure divino ad irrogandam censuram necessaria, non bene convenit cum censura latae sententiae, qua innodamur nulla praevia admonitione, statim ac crimen sub ea poena vetitum committimus. Quam difficultatem evasuri permulti Canonistae**) legem ipsam sufficienter ac quasi continue admonere, ideoque rationem vel necessitatem alterius monitionis cessare docent. Sed nescio, an haec, elegantius magis quam ad persuadendum accommodate dicta, nodum solvant. Hanc etenim ratiocinationem adhibentes generaliter possumus dicere *omnem* legem legi subjectos admonere, ut pareant; attamen Christus *praeter* peccatum in lege animi obstinationem postulavit.***) Censura vero latae sententiae aliquem contumacem et obstinatum esse, temere et ex arbitrio plerumque judicis fingitur. Vidit difficultatem vir tum judicio tum libertate omnes coaequales valde antecellens Gersonius †) qui, censuras latae sententiae, lapsa videlicet ecclesiastica disciplina introducentes „jugum gravissimum imponere super cervices hominum" exclamaverit! Nec minore vehementia Godescalcus Rosemundus, vir ingenii sane profundi, in censuras latae sententiae invectus est, quas cum innumeras, tum perniciosissimas statimque abrogandas esse contendit. „Valde" inquit „inconsultum et periculosum est, quod episcopi in suis statutis, ceteri quoque judices, tam faciles sint in multiplicando censuras: unde expediens esset, ut etiam Gersonius dicit, ut omnes constitutiones excommunicationis latae

*) Cavallarii Inst. part. II. Cap. XXV. §. 17 sq.

**) Schmalzgrueber, lib. V. tit. XXXIX. 31. Suarez, Disp. III. Sect. VIII. 3. Kober, „Der Kirchenbann". Tübingen 1857, pag. 150.

***) van Espen. De Poenis. III, tit. XI. cap. 6.

†) van Espen, Tractatus de Censuris. Cap. III. §. 4.

sententiae in Jure vel statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassarentur in provinciis et dioecesibus et in Ecclesia universali. Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia ferretur de facto a Jure vel judice, neque pro praesenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit, se non paratum audire Ecclesiam." *) Quae omnia nunquam controversiam contemplatione dignam movissent, si Canonistae ab initio distinctionem illam inter poenas et censuras, quam antea ignotam Morinus**) paene detexit, acute perspexissent, clarisque verbis expressissent. Profecto nihil aliud sunt censurae latae sententiae, quam poenae mere sic dictae sive poenae vindicativae. Quid enim? quod hae finem medicinalem non habent, illae vero finem medicinalem neutiquam habere non dicantur. — Ea certe poena poena medicinalis vocari nequit, quae nulla contumaciae peccatoris ratione habita ipso facto irrogatur. Objiciet fortasse quispiam nomen censurae. Respondemus, cum paullo ante censuras non formaliter in ratione censurae, sed in modum poenae vindicativae ferri posse ostenderimus, mirandum non esse, quod et censurae latae sententiae nomen tantummodo censurae non rem ipsam complectantur. Verbi gratia, si Stichus clericum quendam fuste percusserit***) ipso facto excommunicatione innodatur, ita ut eo momento, quo, calore iracundiae incitatus, peccatum committat, ter eum a judice monitum, citatum, inquisitionem factam esse fingatur. Fingitur nihil aliud profecto, quam dignum eum esse, qui poena vindicativa plectatur. Obstare quidem videtur „ignorantia juris invincibilis", quae dicitur. Etenim si Stichus ignoret invincibiliter, prohibitum esse ab Ecclesia sub anathematis poena, ne quis clericum violenter laedat, anathematis vinculo non subjacebit, quippe quem nec contumacem vocare possimus. †) Attamen quaeramus licet, nonne idem quoque in poena vindicativa

*) v. Espen l. c.

**) Morinus l. c. VI. 25.

***) c. 2. C. 17. q. 4. cf. et c. 14. X. De sent. Exc. 5. 39.

†) Suarez, Disp. IV. S. VIII. 20.

valeat? Etenim ignorantem invincibiliter severa legis poena afficere semper judicis duri atque inhumani videtur esse.

Quae cum ita sint, controversiam motam inter viros doctissimos de origine censurae latae sententiae, haud difficulter dijudicabimus. Sunt enim, qui decem per saecula ignotam fuisse hanc censurae speciem, iidem haud leniter totam ecclesiae rationem perstringentes contendant*), sunt quoque, qui contra, quarto jam saeculo ecclesiam regulam, neminem causa indiscussa censura afficiendum esse, infregisse teneant.**) Quod si idem esse censuras latae sententiae atque poenas vindicativas concedimus, censuras latae sententiae jam inde a quinta illa synodo Constantinopolitana introductas, postea demum paene in infinitum auctas esse censebimus. Jam vero, ut ad propositum redeamus, monitionem juris Canonici, iis censuris, quae latae sententiae dicuntur, quae quidem nihil aliud sunt, quam poenae vindicativae, non esse praemittendam satis patet ex ipsa rerum natura. Attamen legem quoque afferre possumus, quae idem firmat probatque. Praecipit enim Alexander tertius in Concilio Lateranensi (a. 1159 hab.): ***) „Praesenti decreto statuimus, ut nec praelati, nisi canonica monitione praemissa suspensionis vel excommunicationis sententiam ferant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat."

III. Quibus omnibus difficultatibus sublatis, cum pateat admonitionem nonnisi iis censuris, quae ab homine ferantur, iisque censuris a jure, quae latae sententiae non sunt (ut terminis usitatis utamur) praemittendam esse, artioribus jam finibus regula nostra circumscribenda erit, quia et in censuris latis per sententias generales *pro peccatis futuris* admonitio non requiritur. Qua in re consentiunt omnes Canonistae. †)

*) v. Espen III. tit. XI. c. 6. n. 19. 20. Schilling l. c. pag. 189, qui anno 1190 eam a Clemente pontifice introductam esse c. 14. X. De sent. excom. sustinet. Cui objici potest. c. 26. X. De appell. 2. 28; ex quo Alexandrum tertium jam respexisse a. 1159. sententiae latae censuram elucet.

**) Kober l. c. p. 56. 57. Concilium Gangrense a. 355 hab. affert. c. 1. Dist. XXX.

***) C. 26. X. De appell. 2. 28.

†) Felicianus: Enchiridion de censuris. P. II. De Excom. IX. Ugoli-

Quos omnes cum verum dicere non infitiar, rationes tamen probabiles minime afferre contendo. Vetus enim occurrit error, quem jam supra reprehendimus; cum legem ipsam quotidie admonere dicant, quando pro peccatis futuris censurae sententia feratur. Describentis quidem hoc est, non rationem afferentis. Sententiam vero nostram exemplo illustrare liceat. Si judex ecclesiasticus, verbi gratia, ita pronunciaverit: „quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit“ *) ac postea fur sit deprehensus: quis est, qui judici suadeat, ut furem admonitum e custodia liberet? Caderet tale quid in stultissimum hominem, cum furem vix liberatum audaciorem tantummodo redditum iri pateat. Praeterea autem admonitio cum edicto supra citato minime cohaeret; quod judex ecclesiasticus eum, qui furtum fecerit, excommunicatum esse voluit, nullo pacto vero — quod paene ridiculum! — eum qui furtum fecerit, admoneri tantummodo. Igitur politicam quandam utilemque rationem haec sapiunt, quoniam legem prohibituram futura delicta inanem prorsus fore constet, si admonendum antea delinquentem esse dicat. Hoc quidem loco: legem „pro admonitione“ esse dici potest; attamen semper animadvertendum erit hoc dicto, elegantem magis descriptionem rei, quam rationem afferri. Nostris tandem diebus haec omnia parvi momenti videbuntur esse, quia tales leges, utputa: „qui furtum fecerit excommunicatus sit“, judex ecclesiasticus sponte non feret, metu, ne jurisdictioni civili officiat. **)

Ex quibus omnibus luculentissime apparet, regulam nostram: omnibus censuris admonitionem praemitti debere, ita coarctandam esse, ut admonitio solummodo necessaria sit in censuris latis ab homine propter culpas praeteritas seu jam

nus, tab. I. cap. 18. n. 2. Suarez, Disp. III. S. VIII. n. 4. 5. 6. Didaci Couarruvias a Leyva comm. in c. alma mater. p. 1. §. 9. num. 5. Reiffenstuel, Jus Can. V. tit. XXXIX. n. 21. Schmalzgrueber, V. tit. XXXIX. n. 31. — Schilling l. c. pag. 146.

*) c. 21 Decr. De sent. excom. 5. 39. Textus cap. 5. De sent. excom. In VI. obstare videtur, veruntamen non de censuris generalibus quae feruntur propter peccata futura loquitur, sed de censuris latis pro culpis et offensis praeteritis vel praesentibus.

**) cf. cap. 3. Sess. XXV. Conc. Trid.

commissas *), atque in iis censuris latis a jure, quae ferendae sententiae dicuntur.**)

# IV.

## Quando monitionem omittendam esse Canonistae dicant.

Erunt profecto, qui me opus admodum supervacaneum aggressurum esse existimabunt, exceptiones innumeras singillatim confutaturum, quibus nimia Canonistarum subtilitas nostram admonitionis regulam infirmare studebat. Sed garrulasse interdum malo, quam parvi momenti rem omisisse, quae ad explicandas posteriorum temporum perturbationes vim quandam habere possit.

I. Principio igitur admonitionem tum non esse necessariam dicunt***) cum per modum defensionis, non per modum judicii censura feratur. De qua re Innocentius IV †): „Praeterea cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere cunctisque sese defensare permittant, licuit utique ipsi Decano (si praedictus ballivus eum bonis suis mundanis injuriose spoliare, vel ea violenter occupare praesumpserit) contra illius violentiam se tueri. Et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio videlicet utendo ecclesiastico, defensare ac recurrere propter hoc ad arma spiritualia, quae sunt eccesiae propria et pro suo munimine illis uti." Cum igitur tunc excommunicatio non sit a judice, ut judex est, sed a persona privata, tuente jus suum: praemittere autem monitionem solum sit praeceptum judici, admonitionem hac in re non requiri concludunt. Attamen primum animadvertendum est, verba capitis 48. X. De sent. excom. 5. 39: „Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti ad-

*) Suarez, Disp. III. Sect. VIII. num. 6.

**) c. ult. Clem. 3. 10.

***) Couarr. In cast. alma mater §. 9. n. 6. Ugolinus c. 18. num. 2.

†) c. 6. De Sent. Excom. In VI. 5. 11.

monitione praemissa promulgare praesumat" — generale praeceptum continere: „nequis in aliquem censuram absque monitione promulgare praesumat" —, quo loco sine dubio parum refert, num judex ecclesiasticus, ut judex, an judex ecclesiasticus, ut persona privata, sententiam ferat. Jam vero captiones dialecticas has esse, distinguendi inter judicem per modum judicii et inter judicem judicantem per modum defensionis, quis est quin perspiciat? Etenim is, qui censura utitur in sui defensionem, nunquam potest ita exuere potestatem vel actum judicis, quin eis utatur; *actumque jurisdictionis* esse *omnem censuram* constat.*)

II. Eadem fere dicenda erunt de distinctione inter judicem ordinarium et executorem tantummodo simplicem.**) Nam simplex executor, cui certum ministerium datur, minime profecto ministerio illo contra juris praecepta fungi debet. Quodsi illi praeceptum sit, ut absolute et sine admonitione censuram imponat, licite tale mandatum exequi nequit: nisi ad sententiam manifeste injustam cooperari velit.

III. Attamen cum ob eandem causam judex censuram ferat, ob quam a jure jam censura ipso facto incurrenda imposita sit, dubium nemini esse potest, admonitione minime opus esse.***) Sed quaero, an haec vera sit exceptio? Verbi gratia cum is, qui literas a papa ante coronationem suam concessas impugnaverit, ideoque anathematis vinculo subjaceat,†) a judice ordinario excommunicetur, ultimam hanc censuram ab homine latam, declarationem potius, quam novam sententiam esse, quis est, quin viderit? Praetereundum autem non esse censemus, delictum tale notorium esse debere, ita ut nulla tergiversatione celari aut excusari possit. Quodsi „reus poenituerit", et absolutionem a censura postulaverit, non est denuntiandus sed potius absolvendus a censura, qua ipso jure jam affectus est.

*) Suarez: Disp. III. Sect. VIII. n. 8.

**) Ex c. 43. X. De off. 1. 29, ubi dicitur, hujusmodi executori certum ministerium, non jurisdictionem committi, non licet inferre, executorem posse ministerium suum exequi contra jus. Suarezius· Disp. III. Sect. X. n. 6.

***) Suarezius l. c. n. 13.

†) C. 4. Extravag. 4. 10.

IV. Cui similia tum statuenda erunt, cum lex aut canon praecipiant, peccato quodam commisso, judicem censuram ferre debere; sive lex ipsa, cum censuram ferendae sententiae ferendam esse statuat.*) Quod saepe fit, quando abusus contra legem illam paullatim introductus, coercendus est. Procul dubio erunt, qui hoc loco, legem ipsam admonere quasi quotidie, repetent. Attamen considerandum est jus aut canon, cum in casu quodam censuram ab homine ferendam esse statuant, nihil aliud statuere, quam; ut admonitione, citatione, inquisitione denique diligenti praemissa censura feratur.

V. Quid vero, si quis ferociter jactando se nunquam pariturum esse, etiam millies admonitum citatumve, exiguam tantummodo spem admonitione tantam contumaciam fractum iri praebeat? admonitionem tum prorsus omittendam esse judicemus? Certe autem, si parum spei superest, agere ita neutiquam debemus, ac si nulla omnino supersit; cum maximam quoque obstinationem frangi posse constet. Saepissime enim fit, ut nimia verborum pervicacia vehementiaque pusillanimitas quaedam legisve tacitus respectus tegatur, qui comminatione censurae facillime movetur. Jam vero ut concedamus hac in re nullum penitus effectum admonitionis fore, regulam cap. 5. De Sent. Exc. In VI. ideo violare non possumus; quia malum certe majus solennitate alias necessaria plane neglecta, accidere solet, quam admonitione canonica etiam tum praemissa, cum spes nulla eam efficacem fore, adsit. De qua re praeclare Suarezius**): „Neque refert quod sit parva, vel moraliter nulla spes talis mutationis (emendationis scilicet peccatoris): *quia hoc non tollit, quin illi servandum sit jus suum*..... Unde talis admonitio non fundatur solum in spe fructus, sed etiam in debito et juridico usu ipsius censurae.“

VI. Ne tum quidem, cum delictum notorium commissum ejusque auctor notorius sit, admonitio omitti potest. Parum enim refert notorietas delicti, et id solummodo animadverten-

*) Suarez: Disp. III. Sect. X. 19. — cf. et Kober, der Kirchenbann p. 155.
**) Suarez l. c. num. 8.

dum est, num incorrigibilis sit is, qui delictum, quamvis notorium, commiserit. Quod praecipue interesse inter admonitionem et inter citationem juris Canonici puto, quarum haec notoria cum sint omnia, omitti possit,*) illa nunquam.

Contrarium profecto dicendum erit, cum *contumacia* peccatoris *notoria* sit; sed hoc ipsum ne praesumat, judici cavendum, et ob id ipsum monitionem introductam esse, ut notoriam contumaciam adesse demonstret, ostendimus.**) Objici quidem potest, Paulum notorium fornicarium absque praevia monitione excommunicasse.***) Veruntamen, ut subtilem admodum Ugolini sententiam praetereamus,†) qui „irrequisitum“ idem esse atque „non iterum requisitum“ contendit, Paulum hominem illum antea admonuisse constat, quippe qui eodem loco dixerit: „scripsi vobis ne commisceamini“, ita ut verisimile sit, censuram eam his verbis esse denunciatam: „Excommunicabo te, nisi statim eam relinquas“. Additur, quod, cum tunc forte expediens fuerit illo rigore uti, postea Ecclesia aliud jus ordinarium statuere potuit, suavius, videlicet, et fragilitati hominum magis accomodatum.††)

VII. Attamen exceptionem sine dubio statuendam esse, Romani juris principiis imbuti, proferent, cum periculum in mora sit. Quid enim? quod verendum saepenumero est, ne quis delictum commissurus, dum admoneatur, committat. Quamquam vero plerumque longa procedendi tarditas nocet, tamen nunquam tantam adhibendam esse celeritatem vel potius vehementiam existimaverim, ut omnia solennia sint postponenda. Ideoque ad peremptoriam potius admonitionem haec exceptio spectare videtur, quam loco trinae monitionis Gregorius X in synodo Lugdunensi †††) judicibus tum

*) C. 5. §. 2. X. De appell. 2. 28.

**) Fagnani, Comm. ad Cap. Sacro §. 10. Reiffenstuel, V. tit. XXXIX. nr. 27. Schmalzgrueber, V. tit. XXXIX. n. 32.

***) 1 Cor. 5. cf. c. 5. X. de appell. 2. 28: „Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi eum, qui sic operatus est.“

†) Ugol. l. c. p. 250.

††) Suarez, Disp. III. Sect. XI. n. 9.

†††) C. 9 h. t. In VI. 5. 11.

concessit, cum justa causa, periculum nimirum in mora, adsit.*)

VIII. Restat ut de explosa illorum sententia pauca afferamus, qui absolutione sub conditione promissa, eum qui conditioni illi non satisfaciat, absque monitione vetere censura irretiri, veluti novum quid et inauditum proferant. Fingamus igitur Stichum, percussorem clerici cujusdam ab excommunicatione ea conditione absolutum esse, ut Romam peregrinet, ibique coram Summo Pontifice sese praesentet. Admirabilis vero Stichus iter illud nunquam aggreditur. Num denuo eum admonendum esse censes, quem, conditione illa non adimpleta incurrisse in priorem censuram pateat? Etenim absolutionem illam conditionalem aequivalere „admonitioni de actu futuro praestando, sub poena similis censurae ipso facto incurrendae" Suarezius subtilius docet.**) Absolutione autem absolute facta nova censura, nova itidem admonitione opus erit. Quid vero? si absolutio illa injusta fuit? tum certe admonitionem praetermittemus, quippe inutilem prorsus solennitatem? Attamen c. 48. De appell. cit. minime distinguit, cur excommunicandum sit, sed generaliter prohibet, ne quis censuram ferat absque monitione. Alium insuper locum habemus, qui judici absolutionem malefactam revocanti cavendum esse, firmet, *ne in revocatione solennia omittat.****) — Quo loco gravitati totius materiae me obfore existimo, si admonitionem tum omitti posse afferam, cum defuncti excommunicentur. Defunctum, scilicet, per se ipsum non esse capacem admonitionis fatebimur, aliisque rationibus non egemus. Sed nihil praetereundum erit, quod nostra de disciplina apud Canonistas legatur.†) — Generaliter vero, omnes quae hanc in partem proferantur exceptiones, nil nisi exceptiones esse, probasse mihi videor.

*) Suarez, Disp. III. Sect. X. n. 3. Kober l. c. p. 152.

**) Suarezius l. c. 21.

***) Ugolinus l. c. 1. c. 18. n. 4.

†) Suarez l. c. n. 24.

## V.

## Quaenam forma in praemittenda monitione servanda sit.

Jam vero secundum praeceptum Domini usu receptum est, ante censuram semel, iterum, atque tertio criminosum admoneri, quamvis neque verba allegata accurate id exprimere videantur, neque congruere videatur sententia Pauli contra haereticum cum tali consuetudine.*) Quoniam autem trina ista admonitio satis erat ad probandam contumaciam, hinc competens et canonica dicta est.**)

Quid vero cum nec locus nec tempus plenius deliberandi consilium patiantur; utputa, si paratae sint partes ad arma et ad monitionem Episcopi supervenientis nolint a pugna desistere.***) Cujusmodi difficultates perspiciens Romanique fortasse juris exemplum ante oculos habens†) synodus Lugdunensis sub Gregorio decimo habita, unam sive peremtoriam pro tribus admonitionibus judicibus permisit hisce verbis††): „Statuimus quoque ut inter monitiones, quas ut canonice promulgetur excommunicationis sententia statuunt jura praemitti, judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.“ Temere autem judices „peremtorio“ illo, loco trinae admonitionis uti non debent; quam rem fusius tractat Ugolinus.†††) Nam solummodo, cum necessitas vel jura aliud constituant, ubi periculum sit in mora, vel monendus nimis terribilis monenti, „peremtorium“ adhiberi posse ait, Romanumque tandem pontificem

*) De quo vide supra. sub II. — Forma illa *trinae* admonitionis tam parvi momenti videtur esse, ut et alius admonendi ordo a Sylvestro papa olim servatus commemoretur: in c. 2. C. 5. q. 2. Quinquies admoneri vult.

**) Cavall. Inst. Cap. 35. §. 17. Glossa ad Cap. 48. X. De Sent. exc.

***) Fagnani, Comm. ad C. Sacro 1. Gonzalez Tellez, Eodem.

†) 53 Dig. 42. 1.

††) 9 De sent. exc. In VI. 5. 11.

†††) Ugolinus l. c. p. 259.

affert quasi juri trinae monitionis non subjectum.*) Verum enim vero hac in re prudentiae et cautioni judicum omnia permissa esse, cum difficile sit, omnes casus, qui „necessitatem juris aut facti“ contineant, enumerare, regulamque certam constituere, neminem effugit. Animadvertendum quoque est, in textu cap. 9 cit. nullam causam postulari, ut hoc modo fieri possit admonitio una pro trina, sed generatim et absolute concedi.**) Cum autem statuatur cap. 9 cit. ut plurium dierum intervalla intercedant, paullatim invaluit doctrina, duos***) saltem dies inter ordinarias admonitiones, sex vero criminoso concedendos esse, si peremptorie admoneatur. Nam partim contumacia delinquentis, termino ei concesso, frustraque elapso, magis apparebit, partim et spatium habebit vel ad satisfactionem praestandam vel ad defensionem proponendam.†) Quapropter cum ter eodem tempore moneatur, veluti: „solve. solve. solve.“ ea canonica monitio vocari nequit.††) — Forma vero usitatissima admonitionis erit haec· „Monemus te Titium, ut intra 6 dies, quorum tibi duos pro prima, duos pro secunda, duos denique pro tertia monitione damus, Sejo satisfacias;“ quamquam et ita admoneri posse constat, ut Titius primo simpliciter, ut intra duos dies solvat, duobus autem diebus elapsis iterum, ac tertio moneatur. — Talem autem monitionem in scriptis fieri debere tradunt, quae causam contineant, ob quam reus censura astringatur.†††) Quae cum in nullo textu inveniam, tum et ideo perversa esse existimaverim, quia si sit sermo de causa, quae est ipsa materia admonitionis, per se notum erat; quomodo enim aliter admonitio fieri potest? Si vero sit sermo de causa, quae moveat judicem ad sententiam

*) Suarez, Disd. III. Sect. VIII. n. 7: Non solum lege trinae, sed omni admonitionis praecepto eum solutum esse dicit. „Tenebitur Pontifex hoc jure sicuti in universum legislator suis legibus obligari potest.“

**) Suarez, Disp. III. S. IX. n. 2.

***) c. 40. De Regulis juris. In VI. 5. 12.

†) Reiffenstuel, V. tit. XXXIX. n. 24.

††) Ceterum totaliter omitti omne intervallum sive admonitionem non posse, argumento est vox illa in textu cap. 9: „moderanda.“ Suarez l. c. n. 3. 4. Ugol. pag. 260.

†††) Schmalzgrueber, V. tit. XXXIX. n. 28.

ferendam, non intelligo, cur detegenda sint, quae saepe numero secreta manere debeant.*) Sed cavendum erit judici ne nomen criminosi neve comminationem censurae ipsius in scriptis omittat, quippe quae magnopere peccatorem movere possit, ignorantem persaepe tam severe se punitum iri. Obstat quidem locus jam supra cit. Paul. 1 Cor. 5. Quamvis enim verisimile sit, illi censurae admonitionem praemissam esse, tamen eam comminationem ipsius excommunicationis continuisse, nusquam reperitur. Attamen jam hoc „non esse de necessitate ita, ut nulla ratione possit Ecclesia aliter uti sua potestate absoluta" demonstravimus.**)

Personaliter vero admonere debemus, quem excommunicare aliave censura irretire volumus; tum quia de maximo criminosi praejudicio agitur, tum quia non nisi communicatione cum peccatore ipso habita contumacia ejus cognosci potest.***) Solet tamen excipi:

I. criminosus cum latitet, aut quovis alio modo rigorem legis effugiat. Tum enim in domum ejus admonitionem mitti sufficiet. Quod si domicilium non habeat, ad ecclesiae valvas admonitio affigatur oportet.

II. cum jam antea rite admonitus sit;

III. cum admonitio ad domum facta pervenerit postea ad notitiam criminosi. Nam certo certior fieri non potest.

IV. cum male absolutus sit, et agatur de reincidentia, sat erit, ut ad domum criminosi citetur.

V. cum censura generalis contra personas, quae hoc vel illud commiserint, feratur, sat erit, quod admonitio fiat in aliquo loco publico.†)

Personaliter autem peccatori admonitionem insinuatam esse antea duo saltem testes idonei††) firmare debebant.

*) Suarez, Disp. III. Sect. XI. n. 3.

**) Suarez l. c. n. 8. 9.

***) Couarruvias, in const. alma mater I. §. IX. num. 4 sq. Quamvis et hoc in nullo textu praescriptum reperiatur. Suarez l. c.

†) Couarr. l. c. Reiffenstuel, T. V. tit. XXXIX. n. 25. Schmalzgrueber, V. XXXIX. num. 29. Suarez l. c. 5. 6.

††) c. 48. X. De sent. exc. 5. 39.

Quam solennitatem postea antiquatam esse van Espenius dicit,*) tum quia admonitione in scriptis facta alio testimonio opus non erat, tum quia latioribus praesertim temporibus admonitio per edictum una cum citatione fieri coepit. Quid vero? has omnes solennitates ad formam monitionis necessarias, vel unam tantummodo earum judex cum neglexerit? Profecto ab ingressu Ecclesiae et divinis Officiis ipso jure per mensem suspenditur, et si illo tempore Divinis se ingesserit, irregularis fieri debet.**) Itaque eadem poena manet eum, qui unam tantummodo solennitatem in forma monitionis servandam omittat, quae eum, qui admonitionem prorsus praetermiserit. De qua re nunc latius fusiusque tractabimus.

## VI.

## Utrum censura sit valida monitione non praemissa?

Principio igitur, cum de sanctione admonitionis agatur, inter monitionem canonicam sive trinam et inter peremtorium illud cap. 9. cit. In VI. distinguendum erit.

I. Etenim canonica monitione non praemissa, censurae sententia, quamvis injusta, nihilominus erit valida. Judex fortasse tum punietur, qui nimio studio permotus trinam monitionem neglexerit, censura tamen sine dubio reus irretitur.***) Nam cum pateat ex verbis Cap. 48. X. De sent. exc.: „quod si contra praesumpserint, etiamsi (alias) justa fuerit sententia, ingressum ecclesiae per unum mensem noverint sibi esse interdictum" sententiam absque competenti monitione latam injustam tantum esse, ponderanda esse in Cap. 9. De sent. exc. In VI. verba: „si sine monitione promulgare praesumpserint, *injustas* sententias esse" glossa dicit.†) Cavit profecto In-

*) Tractatus de Censuris, Cap. III. §. 3.

**) Nisi fuerit Episcopus. Schmalzgrueber, L. c. C. 1. In VI. De Sent. excom.

***) Schmalzgrueber, V. tit. XXXIX. n. 27.

†) Glossa ad C. 9. cit.: Injustas, inquit, non nullas.

nocentius quartus ne voce „nullas“ uteretur. Qua in sentiunt fere omnes Canonistae.*) Duas vero exceptior que eas quidem generales, afferunt, ubi trina monitione non solum judex injustus puniatur, verum etiam irrita sus, nullaque sententia reddatur.

a. Judex delegatus, cum alia quam trina monitio censuris ferendis uti vetetur, mandatum certe excedere videtur, qui peremtorium loco trinae monitionis adhibet. Nihil autem facit, qui nullam potestatem habens nisi concessam a delegante, mandatum excesserit. Testis est Innocentius III,**) qui processum contra formam rescripti factum, irritum esse hisce verbis denuntiat: „Dictum insuper scholasticum et conjudices suos invenimus minus provide processisse. Cum enim in litteris nostris eisdem principaliter mandaretur, ut ad praedictam ecclesiam personaliter accedentes personae idoneae administrationem committerent Abbatiae, cui ad opus ejus fierit hincinde resignatio subtractorum: ipsi formam mandati Apostolici transponentes illo capitulo praetermisso, de aliis articulis inordinate plurimum cognoverant: propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem attentatum, *irritum decernimus atque inanem*, ideoque mandamus, quatenus G. et quibusdam aliis sororibus ecclesiae (sicut justum fuerit) restitutis, et formam mandati nostri exacta diligenter observata, in negotio ipso ratione praevia procedatis.“ Qua de causa censurae sententia, quam absque trina monitione, judex sub praedicta clausula delegatus feret, nulla omnino erit.***)

b. Sequitur, quod secundum aliam Innocentii IV in concilio Lugdunensi constitutionem †) episcopus, qui participantem cum excommunicato *ab eo*, excommunicare ††) velit, semper trina monitione uti jubetur. „Statuimus“ inquit „ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo, in

*) Avila, Pars II. Cap. V. disp. I. dub. 9. Couarr., c. alma mater, p. 1. §. 9. num. 7. Suarez, Disp. III. Sect. XII. Schmalzgrueber, l. c. n. 26. etc.
**) c. 22. X De rescriptis 1. 3.
***) Suarez, Disp. III. Sect. XII. n. 6.
†) c. 3. De Sent. Exc. In VI.
††) scil. excommunicatione majore afficere.

locutione et aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, *ante monitionem canonicam* excommunicare majori excommunicatione praesumat: salvis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine praesumunt participare damnato. Quodsi ex locutione et aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat: poterit judex *post monitionem canonicam* hujusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat: et proferentes poenam legitimam poterunt formidare.“ Ecce salutare praeceptum sapientissimumque, quoniam semper faciliores erunt judices ad excommunicandos eos, qui cum excommunicatis a se, versentur, quam ad puniendos eos, qui eorum communione utuntur, qui ab aliis excommunicati sunt! Saepissime enim fit, ut laetetur Episcopus, quod censurae vicini Episcopi, inimici videlicet, nullum habent effectum, excommunicatique a plebe stultissima et inobedientissima (sic) quasi martyres habentur et coluntur. Quapropter cum praedicto in casu judex absque monitione excommunicet, sententia prorsus nulla est.*)

II. Attamen una saltem monitio „de essentia“ censurae videtur esse, ita ut sententia absque omni monitione lata, plane nulla sit habenda. Quod ad forum externum spectare non existimaverim. Sententia enim absque omni monitione lata, tamen in foro externo vim quandam exercet; quia injuste et male punitus minime quasi non punitum sese ostendere sententiamque lascivum in modum spernere debet, sed obsequium et reverentiam contra ecclesiam parendo vel iniquis nullisque ejus sententiis demonstrabit; cum praesto sint juris remedia v. g. oppositio nullitatis sententiae.**) Judex autem sive injustam sive nullam sententiam absque trina vel absque omni monitione tulerit, non solum ab ingressu ecclesiae ipso jure suspensus manebit, verum etiam, si res id poscere videatur, insignis injustitiae, nimirum, coercendae causa, ar-

*) Suarez, l. c.: „Ratio est, ut coerceretur facilitas, vel nimia licentia, quam in hoc judices sumere possunt, cum magno animae periculo.“

**) Reiffenstuel, Jus Can. II. tit. XXVIII. n. 31.

bitraria insuper poena plectendus erit.*) Quo loco plangi potest, quod tale praeceptum ad Episcopos non pertineat; quippe quorum non sit mentio expressis verbis facta.**) Statuitur autem ab Innocentio IV: „quia periculum est Episcopis et eorum superioribus propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis sententiam incurrant ipso facto: nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi et alii superiores praelati nullius constitutionis occasione sententiae sive mandati praedictam incurrant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.“ ***) — Tractantibus vero de sanctione admonitionis canonicae, occurrit cap. 40. De appell. 2. 28.: cujus verba sunt haec: „Praeterea requisiti fuimus, si quis judex ita tulerit sententiam: „nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris te excommunicatum esse cognoscas“ et ille in quem fertur sententia medio tempore appellans ad diem statutum minime satisfecerit, utrum ille sententia tali ligetur, aut interpositione appellationis tutus existat: videtur autem nobis, quod hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debet impedire.“ Cum igitur censura non a jure sive a canone lata, sed a judice tantummodo ostentata; puta, his verbis: „nisi intra viginti dies solveris, censuram incurres“, criminosus diebus decem elapsis contra sententiam appellationem interposuerit, vim suspensivam eam habere patet, ita ut poena comminata etiam triginta diebus elapsis, neque ulla satisfactione praestita, nondum existat. — — Quodsi totam, quae in corpore juris Canonici continetur doctrinam de admonitione censuris praemittenda consideramus, permulta manca taliaque esse videbuntur, qualia reformatione magnopere egeant. Nam primum distinctio illa inter trinam monitionem et peremtorium cap. 9. X. de sent. exc. periculosa esse debuit, quia certum in modum, quando judices peremtorium adhibere possent, sancitum non erat. Obscuritas quippe nebulosa verbis inest Ugolini: „cum ne-

*) „alia nihilominus poena mulctandus si visum fuerit expedire.“ cf. c. 48. X. de sent. exc. 5. 39.

**) Schmalzgrueber, l. c. n. 28.

***) C. 4. De sent. exc. In VI.

cessitas aut jura aliud postulent.“ Saepius videlicet necessitas aut jura judici hoc suadere videbantur. Neque minus subtilitas illa distinguendi inter censuram injustam sed validam, et inter censuram absolute nullam periculum afferebat. Non raro enim judices trinam monitionem in odium rei omiserunt, quia validam esse talem sententiam nihilominus sciebant — episcopi praesertim quibus ne interdictum quidem ab ingressu ecclesiae ipso jure imminebat. Profecto verendum erat, ne monitio penitus a pristina sua natura, quae cum poena medicinali arctissime conjuncta esset, averteretur neve solummodo ad commodum judicis pertineret, qui clementem sese fuisse gloriari, neque tamen clementem sese praestare vellet. Sed priusquam ad reformationes synodi Tridentinae accedimus, paullulum oratio nostra a proposito aberrabit.

## VII.

## Excursus historicus. Quaedam de „monitoriis Paullianis.“

Etenim ad illustrandam nostram de admonitione juris canonici sententiam altius repetamus censurasque celeberrimas duodecimo terdecimoque saeculo latas consideremus liceat. — Hadriano igitur quarto papa, quem paullo antequam moreretur de Friderico primo Imperatore excommunicando cogitasse fama fuit, Anagniae defuncto, ingens diversarum partium certamen exarsit, quarum altera pontificem servum cujuslibet Imperatoriae libidinis, altera defensorem et propugnatorem libertatis Italicae, libertatis eundem ecclesiasticae, eligere cupiebat. Sed postquam cardinali per tres dies in superna de substituendo pontifice deliberassent, omnes, tribus exceptis, Rolandum cancellarium, inimicum Imperatoris, qui postea nomen Alexandri III accepit, creaverunt. Quo facto Octavianus, aemulus Rolandi in tantam audaciam vesaniamque prorupit, ut mantum quo Prior ecclesiae Diaconorum Alexandrum induerat, a collo rivalis propriis manibus violenter excuteret. Quod cum unus ex Senatoribus saevienti

eripuisset, ad quendam Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat, inflexit, concrepans ut mantum afferet. Quo utique sine mora delato „ex divino judicio credimus contigisse quod ea pars manti, quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus et ridentibus posteriora tegebat, et sicuti tortae mentis et intentionis obliquae ita ex transverso et obliquo mantum fuit in testimonium suae damnationis indutum.“ *) — Postea autem Alexander tertius, a populo Romano e custodia, qua Octavianus octo per dies eum affecerat, liberatus, in die ipsa consecrationis terminum **) rivali suo indulsit „ut ad sinum et unitatem matris Ecclesiae rediret.“ Quodsi adimplere distulerit, ex tunc tam eum quam fautores ejus excommunicationis vinculo sese astricturum esse Alexander scribit. Itaque: „nisi intra octo dies, quorum quatuor tibi pro prima, duos pro secunda, duos denique pro tertia monitione damus, ab incepto temerario desistas papamque te non esse legitime electum profitearis, excommunicationis gladio te feriemus“ — Alexandrum dixisse credibile est — — ***) verum enim vero quotusquisque legum solennitatibus scrupulose non utetur, quas nullum prorsus effectum habituras esse sciat? — — nisi excipias fortasse admirationem, quam clementia talis judicis contra talem criminosum ubique movebit. — Jam vero alias censuras terdecimo saeculo latas afferamus. Anno enim 1247, Ludovico nono regnante, barones paene totius Galliae communi consilio contra clericorum usurpationes exsurrexerunt, quippe qui jurisdictionem civilem paene absorberent. Finis igitur conspirationi propositus erat restitutio jurisdictionis civilis in causis laicorum. Quod opus barones cum impigre aggrederentur, magnaque populi multitudo assentiret, Innocentius quartus Pontifex Romanus „ingenti perfusus est tristitia“; et ut eos ab incepto impiissimo averteret conscientiamque eorum emollesceret „admonitione praemissa nimis eos perterruit, nec se sic sensit praevalere. Contulit igitur multis consanguineorum eorum beneficia ecclesiastica,

*) **Muratori:** Script. rer. Italic. Tom. VI. p. 273.

**) Octo dierum. Eodem.

***) Auctorem Cap. 26. De appell. 2. 28.; ecclesiastica disciplina Gratiano magistro imbutum.

eosque sic a praedicta praesumptione revocavit.“ *) Contumaciam hic conjuratorum manifestam fuisse, quis est, quin intelligat? Attamen politica quaedam ratio Pontificem amovisse videtur ab excommunicationis sententia in homines praepotentes ferenda, cum totam Galliam rebellem reddere nollet. Itaque cum censurae sententia parum principes baronesque perterreri intellexisset, mitiorem quandam viam ingressus est, quam rectam fore eo magis supponere potuit, quod haudquaquam omnes illos conjuratos mirifice abstinentes atque ab omni cupiditate remotos esse sciebat. Nam eos, qui antea conclamaverant: „clericos ex paupertate populi ditatos reducendos esse ad statum Ecclesiae primitivae“ fomentis ac malagmatis permulcebat, promisitque cum uberrima beneficia, tum honores in filios parentesque maximos collaturum sese esse. — Attamen monitio juris canonici, quae utilitati tantummodo politicae inserviit, a simplicitate primorum seculorum longissime aberat; quibus censurae contra contumaces solum; sed contra contumaciam nobilium ac pauperum promiscue imponebantur. Quae cum ita sese habuerint, monitionem illam sensim pedetentimque in subsidium politicae cujusdam Ecclesiae rationis delapsam esse, non est quod miremur; — magna adhuc adversus clericos reverentia, magno adhuc timore, ne incurreretur in poenas ecclesiasticas. Eo pertinet decretalis**) quaedam, anno 1205 scripta, quae origo fuit excommunicationis „ad relevandum vel restituendum“ sive „Monitorii ecclesiastici“, postea a Paullo tertio in infinitum multiplicati et a synodo Tridentina confirmati. Quodsi jubetur Episcopus sub poena censurae publice in ecclesia proponere, ut qui, de re paullo obscuriore, sciant quidquam, id operiant detegantque, — si omnes, qui de thesauro quodam ecclesiastico amisso, notitiam habeant, admoneantur ut intra quatuor menses vel restituant, quae teneant, vel furem denuntient, sub poena anathematis —***) tum sane

*) van Espen, Op. III. Tractatus ad jurisdictione. Cap. II. §. 4 sq.

**) c. 20. X. De jurejurando 2. 24.

***) Cap. Unicum Extrav. De furtis 4. 5. Johannes XXII.: „Nos igitur ad recuperationem thesauri praedicti solicitis studiis praetendentes omnes et singulos asportantes thesaurum praedictum et alios, penes quos aliqua de thesauro fuerunt,

verendum est, ne monitionem clerici unice in ipsorum utilitatem ex arbitrio cujusvis adhibeant, atque summopere desiderandum est, ut doctrina ad pristinam simplicitatem reducatur reformeturque.

# VIII.

## De reformatione cap. 3. Sessionis XXV Concilii Tridentini.

Itaque cum permulta vitia, quae lapsa demum ecclesiastica disciplina, paullatim increbruerant, reformari debere, minime quidem revolutione permutari permiscerique, patres Tridentini perspexissent, tum modum quoque procedendi in poenis ecclesiasticis ferendis mutandum, immanique judicum ecclesiasticorum arbitrio occurrendum esse censuerunt. Qua de re cap. 3. Sess. vigesimae quintae*): „quamvis excommu-

vel adhuc existunt, *auctoritate Apostolica* coram hac fidelium multitudine copiosa *monemus*, ut ea nobis aut ei quem ad id duximus deputandum, intra quatuor mensium spatium a die datae publicationis praesentium numerandum cum integritate restituant et absignent: ac omnes et singulos scientes, ubi vel penes quos aliqua de dicto thesauro exstiterint vel existant, ut intra terminum supradictum nobis aut ipsi deputato nostro indicare studeant: *aliaquin* in omnes et singulos monitionis hujusmodi contemptores cujuscunque dignitatis, status vel conditionis exstiterint etiamsi patriarchali vel superiori aut alia quacumque praemineant dignitate ex nunc auctoritate praedicta *excommunicationis sententiam promulgamus:* mandantes illos per dioecesanos locorum et rectores paroecialium ecclesiarum civitatum et dioecesum earundem singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis extinctis excommunicatos publice nunciari: processuri ad graviora nihilominus contra eos, nec non et contra civitates universitates et singulas personas quascunque sicut protervia ipsorum exegerit et viderimuse expedire..... Ut autem hujusmodi monitio ad communem omnium notitiam deducatur, *chartas sive membranas monitionem continentes eandem in ecclesia Avignion. appendi* vel affigi ostiis ejusdem ecclesiae faciemus; *quae monitionem ipsam suo quasi sonoro praeconio publicabunt*: ita quod omnes, quos monitio contingit, nullam postea excusationem praetendere possint, quod ad eos talis monitio non pervenerit vel quod ignoraverint eandem.“ Johanni, videlicet, vigesimo secundo monitio nil nisi instrumentum securitatis ecclesiasticae fuisse videtur.

*) Sacros Concilii Tridentini Canones et Decreta ed. Gallemart 1672.

nicationis gladius, nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur magis contemni, quam formidari et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeterquam ab Episcopo decernantur et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata quae ejus animum moveat, nec ad eas concedendas cujusvis saecularis etiam Magistratus, auctoritate adducatur sed totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positnm: quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse judicaverit.*) In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri potest, abstineant se tam in procedendo quam definiendo a censuris Ecclesiasticis seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos per multas pecuniarias, quae locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere et causas definire. Quodsi executio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, *sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone* arbitrio suo praeter alias poenas

**) Ut concessio literarum monitorialium obtineatur quinque concurrere debent:

I. Nominatim contra testes non conceduntur ratione formae, nisi praevia diligentia de exequendo realiter vel personaliter.

II. Res, pro qua hae literae conceduntur exigui momenti non debet esse.

III. Monitorium debet continere clausulam justificativam.

IV. Adversarius certus non esse debet.

V. Literae tales in subsidium, deficiente, alia probatione, dantur. — Quibus omnibus tacite inesse vituperationem Johannis XXII existimaverim.

ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis. ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum, sed si dictae executioni facile locus esse non possit, licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, *praecedente bina saltem monitione etiam per edictum,* id postulat. Nefas autem sit saeculari cuilibet Magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem communicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet sub praetextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata, cum non ad saeculares, sed ad Ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: sed si obdurato animo, censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum procedi posse.“ Synodus igitur Tridentina duas saltem monitiones praemittendas esse censurae statuit. Qua re derogari juri cap. 9. De sent. exc. In VI. patet; atque cum trinam monitionem ordinarie diutius non esse necessariam, tum peremtorium illud, secundum Romanum quidem usum introductum, sed valde periculosum, penitus tolli. Intervallum vero saltem trium dierum interponi inter binam illam, sive Tridentinam monitionem notes.*) Item ex concilio sufficere monitionem per edictum, cum tamen de jure vetere debeat fieri personaliter, nisi in quinque casibus, de quibus supra egimus.**) Omissa autem bina illa monitione Conc. Tridentini, sententiam nullam, vel injustam tantummodo fore censebimus? Etenim patet Reformationem cap. 3 cit. et ad sanctionem admonitionis plurimum valere. Consentire vero videtur cum tota illius cap. 3. natura, quod prohibeat ne temere excommunicationis gladius stringatur, ut severissimae poenae judicibus, ira et studio incitatis, imponantur. Qua porro re judex adeo plectetur atque percutietur, ira inprimis odiumque in criminosum cum subsit, quam praecepto: sententiam illam absque solennitate binae monitionis latam nullam omnino esse. —

*) **Fagnani**, Comm. ad Cap. Tua nobis: De testamentis. num. 9.

**) **Fagnani**, Comm. ad Cap. Sacro. num. 19.

Quapropter bina monitione omissa sententia erit nulla. — Confirmatur resolutionibus Congreg. Card. *) — Cum igitur distinctio veteris juris inter monitionem canonicam et peremtoriam, atque inter sententiam injustam ac nullam hoc capite plane tollatur, id tantummodo servandum erit de vetere jure, ut in duobus praedictis casibus, quando trina admonitio expressa juris sententia praecepta sit, **) hodie quoque trina admonitio adeo sit necessaria, ut, ea omissa, sententia nulla fiat. Quippe constitutiones ante concilium Tridentinem a Pontificibus Romanis latae minime, si severae essent, infirmari, sed eae, solummodo, quae suavius atque indulgentius dicta essent, exacui debebant.

## Conclusio.

Restat, ut de conventionibus nostris diebus inter pontificem Romanum et inter varios Germaniae principes factis, pauca afferamus. Quas diligenter pervolventes, nihil fere reperimus, quod ad illustrandam seu mutandam doctrinam nostram de monitione juris Canonici vim quandam haberet. Etenim si jurisdictionis ecclesiasticae criminalis mentio fit, solet repeti, quasi axioma; poenis adversus clericos, censuris adversus laicos utendum esse; quod ad rem nostram parum spectare videtur. ***) Quapropter et hodie doctrina nostra

*) Canones et decreta Conc. Trid. ex editione Romana a MDCCCXXXIV repetiti. Lips. 1853. Assumpto socio F. Schulte edidit A. Richter. cf. Resolutio 5. 6 ad cap. 3. Sess. XXV.

**) cf. supra sub V.

***) Concordatum bavaricum art. XII d): In clericos reprehensione dignos aut honestum clericalem habitum eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes, poenas a sacro concilio Tridentino statutas, aliasque, quas convenientes judicavimus, salvo canonico recursu, infligere eosque in seminariis aut domibus ad id destinandis custodire: censuris quoque animadvertere in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum et sacrorum canonum transgressores.

Concordatum Austriacum art. XI: „Sacrorum antistibus liberum erit, in clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes, aut quomodocunque reprehensione dignos poenas a sacris Canonibus constitutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes judicaverint, infligere. Idem

eadem prorsus est, de qua sanctum concilium Tridentinum statuit.

Verum enim vero de censurarum ipsarum ratione, cum permultum hinc et illinc disputetur, multique sint, qui excommunicationem et inprimis interdictum, cujus naturam, mixtum illud tantummodo ante oculos habentes, penitus ignorant — quasi inventionem hierarchiae pontificalis detestentur; — hoc loco Lutherum ipsum commemorasse sufficiet, qui excommunicationem procul dubio servandam esse dixerit. *) Quae enim ratio est, cur jus, quo nulla non societas privata fruatur; excludendi homines nequam, qui diutius legibus nullo pacto obtemperaturi malam famam societati ipsi parturi sint — ecclesiae tantummodo denegetur? Quemadmodum autem omnem societatem, quae jure illo exclusionis a civitatis rectoribus sibi concesso, perversum in modum utatur, male agere puniendamque esse existimamus, ita et ecclesiam summa ope niti decet, ne legitimam in poenis contra laicos vel contra clericos ferendis viam deserat; cum *poenae tales permagnam, non solum in rebus ecclesiasticis, sed etiam in rebus civilibus, vim habeant.* **) Qua in re ingens periculum subesse animadvertendumque esse, ne jurisdictio civilis quid detrimenti capiat, quis est, quin videat? — Profecto vero jurisdictio ecclesiastica, ideo a jurisdictione civili longissime sese discrepare gloriatur, quod ecclesia poenas emendationis causa imponens, nonnisi invita ad puniendum accedere potest, nunquam praesertim in modum vindictae; nulla contumaciae ratione habita, nulla inquisitionis, nulla denique admonitionis. Quodsi ad

nullatenus impedientur, quominus censuris animadvertant in quoscunque fideles legum et Canonum transgressores."

Mirum certe videtur, quod civitatis rectores his constitutionibus magnopere jurisdictionem civilem infirmari, non intellexerunt.

*) Quamobrem diu Lutherani excommunicationem retinuerunt, retinuerunt insuper trinam illam monitionem, quamvis diversam a monitione juris Canonici. Nam admonitio a parocho solo facta, deinde coram duobus aut tribus testibus e communione repetita, praecedere sententiam debuit. cf. Richter's Kirchenrecht. §. 218. 1.

**) Prohibitionem, puta, sepulturae christianae, communicationis cum excommunicationis, infamiam, denique quandam civilem, quae poenam ecclesiasticam, quasi umbra, sequi solet.

sentententiam nostram; contumaciam peccatoris non esse praesumendam, nisi bina saltem monitione praemissa, unum tantummodo judicem ecclesiasticum adduxerimus, ideoque eum accuratius secundum regulas supra explicatas, modum procedendi instructurum esse sciamus, satis superque erimus contenti, neque irritum cedere hocce tentamen de doctrina paullo obscuriore lucem quandam allaturum, existimabimus.

Druck von G. Mohr in Heidelberg.